

www.e-rara.ch

**Theorema de certa electionis suae et fratrum ac sororum in Christo
fiducia, qua omnes renati per gratiam spiritus sancti excellunt**

Grynaeus, Johann Jakob

Basileae, anno 1601

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23165>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THEOREMA,
DE CERTA ELECTIONIS
suae & fratrum ac sororum in
Christo fiducia, qua omnes
renati per gratiam Spiritus
sancti excellunt,

De quo in Schola Theologica,

PRAESIDE

IOHAN. IACOBO GRYNÆO,
interrogantibus, 9. Iulij, si permiserit
Deus, respondebit

M. IOH. GEORGIUS GROSSIUS
BASILIENSIS.

Rom. 8.33.

*Quis intentabit crimina aduersus electos
Dei? Deus o dicitur.*

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
Anno clc lcc i.



Studiosis veri S. D.

Dolendum est eò rem apud quosdam Aristarchos ineruditos rediisse, vt quum rectè fateantur, de sua per fidem iustificatione minimè se dubitare: si queras, An & de sua electione certi sint? ex hesitantià facilè animaduertas, tum ipsos incertos esse de sui ipsorum electione, tum non intelligere prædestinationis effecta ita inter sese ordinata esse, vt priora causæ sint posteriorum: tum denique nec de fidei suæ perseuerantià plenè persuasos.

Vtinam autem illi, post Scripturas sanctas, vel Augustinum, de perseuerantiæ dono ita pronunciantem audiant: *Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantià à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, SPERARE DEBETIS, & quotidianis orationibus postcere: atq; hoc faciendo CONFIDERE, non vos esse*

*se à prædestinatione populi eius alienos: quia
etiam hoc ut faciatis, ipse largitur.*

Nos verò, Deo Patri Dn. nostri Iesu Chri-
sti gratias agamus, quòd nobis dignatus est
post regenerationem nostri, electionis no-
stræ testem Spiritum veritatis in corda mit-
tere, ad nos, & de ijs quæ verbo suo nobis te-
stis est, attestante nostra cōscientia per fi-
dē, & de electione nostra, certiores faciēdos.

Iis autem qui ad omnē Electionis men-
tionē superstitiosè contremiscunt, Eranistæ
apud Theodoretū vocem proponamus: τὰ
κεκρυμμένα ὃ δ' εἰς ἡμῶν, ὃ δὲ τὰ δεδηλωμένα παν-
τελῶς ἀγνοῦν. Blasphemantibus autem quæ
nō intelligunt, obijciamus istud Pauli: Qui
verò ignarus est, ignarus esto. Bene valete.



THESIS PRIMA.

DE gaudio quod electionis nostrae fiducia in nobis parit, dicitur: Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis. *Luc. 10. 20.*

I I.

Propositum autem nobis est demonstrare, Vnicuique nostrum, qui Christi sumus, electionis nostrae τεκμήριον esse Regenerationem.

I I I.

Iudicamus hac extra controuersiam esse. Cōmunionem esse Electorum. Rom. 8. 29. Eph. 4. 4. Nos fide Christo insitos, viuere. Gal. 2. 20. Secundum gloriam electoris Dei, finem nostrae electionis esse ut simus sancti & beati. Rom. 9. 23. Eph. 1. 4. Electionem nostri in Christo, esse aeternam, gratuitam, immutabilem. Roman. 9. 11. & 11. 29. Ephes. 1. 11.

I V.

Sic autem Theorema nostrum demonstramus.

Non est aliud τεκμήριον nostrae electionis, quam quod est tum iustificationis, tum vocationis nostrae.

Ratio. Nam ex electionis fonte manant ordinè, vocatio, iustificatio, &c. seq. inuicem ἀλλὰ καὶ ὡς, consequuntur, ut causa & effectus proprii. Rom. 8. 28. 29. 30.

Atqui Regeneratio nobis est τεκμήριον antegressæ tū Iustificationis, tum vocationis nostrae, secundum propositum & gratiam Dei.

Etenim ex Regeneratione αἰαντιπρήτως, nos fide iustificatos esse, colligimus. Sicut enim in cuiusq. nostrum corpore animato, ἐν ψυχώσας indicia sunt Sensus & Motus: ita in nobis renatis esse, viuere, manere & regnare Christum, per Spiritum

ritum suum, inde liquet, quòd iusti fide nostra viuimus, Abac.
2.4. Spiritu Dei ducimur. Rom. 8. 14. 1. Cor. 1. 29. Eph. 3. 17.

Porro, ex iustificatione nostra Θεωσις colligimus efficaciter nos esse vocatos. Vt enim sanctum non datur canibus, neque margaritæ proyiciuntur ante porcos: Matth. 7. 6. ita nec iustificationis vitæ benedictio alijs confertur, quàm in sortem ascitis, Eph. 1. 11 & proinde sanctificatis è mundo. 1. Cor. 1. 2.

Colligimus, igitur & electionis nostræ παρηγοριαν nobis esse Regenerationem: ὅπερ ἐδεδίδαται.

V.

Probaturn itaq; nobis Martini Bucer, enarrantis cap. 8. epistole beati Pauli Apostoli, hæc συµµαρτυρία. Pagina 359.

Primum quod Deo debes est, vt credas te esse ab eo prædestinatum; nam id ni credas, facis eum tibi, quum te ad salutem vocat per Euangelium, illudere. Vocat enim te Euangelio ad iustificationē, & gloriæ suæ communionem: hæc autem nō potest contingere nisi prædestinatis, præscitis & electis in hoc. Omnia siquidem Dominus præfinitò facit, quia sapienter. Proinde, si dubitas te prædestinatum esse, dubitare quoque necesse est, te esse vocatum vt saluus fias, esse iustificatum, esse denique glorificandum, hoc est, necesse est te dubitare de omni promissione salutis tuæ, dubitare de Euangelio, hoc est Deo credere nihil omniū quæ tibi in Euangelio offert. Et post pauca.

Ergo tanquam caput omnis noxiæ tentationis, repellenda est hæc quæstio: S V M V S' N E P R A E D E S T I N A T I? Nam vt dictum, qui de hoc dubitat, nec vocatum se & iustificatum esse, credere poterit, hoc est, N E Q V I T E S S E C H R I S T I A N V S. Præsumendum igitur vt principium fidei, Nos omnes esse à Deo præscitos, præfinitos, separatos à reliquis, & selectos in hoc vt æternum seruemur: hocq; propositum Dei mutari non posse: & inde omnis nostra cogitatio curaque in

hoc intendenda, vt prædeterminationi huic Dei & vocationi respondeamus, vt ad vitam æternam nos proviribus, quas vnquam Dominus suppeditarit, cooperemus: quas etiam augeri nobis orare debemus sine intermissione.

V I.

Confectaria.

Calumniosâ igitur imperitia est eorū qui ita argutantur:

1. *Ergo si quis electus sit, servetur necesse est, etiam si non credat in Christum, nec desinat male agere.*

Nam bona arbor non fert malos fructus. Matth. 7. 17.

18. Tit. 2. 12. & 3. 14.

2. *Ergo si quis sit reiectus, frustra tum crediderit, tum studuerit bonis operibus, quando ei simpliciter pereundū est.*

Nam mala arbor nunquam fert bonos fructus. Matt.

12. 33-34. 35. Mortuus in peccatis, sensu, motuq; spirituali nunquam defungetur: sed fœtore peccati peccantis offendet quoscunq; poterit.

V I I.

De electione fratrum & sororum in Christo, vt de reiectione eorum qui alieni manent à gratia adoptionis, pie menti licet, exemplo D. Christi & Apostolorum, secundum fidei normam, pronunciare. Rom. 16. 13. Phil. 4. 3. Colof. 3. 12. 2. Tim. 2. 10. 1. Pet. 1. 1. Matth. 11. 20. Ioh. 6. 70. & 8. 44. & 10. 26. Act. 7. 51. & 8. 21. & 13. 45. 46.

I I X.

Iurè confidimus fratres & sorores nostras in Christo electionis consortes esse: licet demus, in alijs illustriora, in alijs obscuriora esse, electionis effecta, que per externos fructus innotescunt.

I X.

Nam contrariorum contraria sunt consequentia. Paulus autem Thessalonicensium fratrum electionem collegit, ex opere fidei, labore charitatis & tolerantia spei. 1. Epist. 1. 3. 4. Manifestum

nifestum itaq; indicium reiectionis est, si qui hisce perpetuo
deserviantur. 1. Cor. 13. 1. 2. 3.

X.

Sicut autem Mundus, quia non novit electorem Deum, ne-
quidem Electos novit: 1. Ioh. 3. 1. ita hi haecenus suam ipsorum
& fratrum ac sororum electionem agnoscunt, ut tamen iudi-
cy perspicacia alij alijs sint superiores. 1. Cor. 12. 6. 7. 8.

Oratio ad Dominum meum Iesum
Christum.

IRa brevis, sed cura grauis, varijq; labores,
accelerant senium conglomera meum.
Christe meæ fac sit νέμεσις moderata senectæ,
offendam ne quos asperitate pios.
Et quia curarum pondus tua sustinet omne
gratia: fac nostras spesq; fidesq; leuent.
Iamq; laboranti vires mihi suffice & artem
sanctam: nam sine te nil mea cuncta valent.
Sic autem dimitte tuum pie Christe ministrum
in pace, ut Dominum glorificare queat.
Seu mea mors σῆσις illa fiet, seu lenta μάρανσις,
da tamen ut tibi sim victima viua, pia.

IOHAN. IACOB. GRYNÆVS.

Veritate vinci pulcerrimum.



